

Aures inclina, clamantis suscipe verba;
Hinc veniam portet, quem conscia culpa remordet.

Circa agnum in paradyso¹.

Hęc species miris sacra prefert multa figuris,
Quę Deus ecclesię dat reserata suę.

Super episcopos².

Hęc domus insignis patribus fundatur ab istis,
Qui dum decedunt, in ea cum pace quiescunt.

In refectorio.

Vivens maiestas regnans et diva potestas,
Larga tuę dextrę servis donaria prebe,
Ne quid eis desit, tua plurima gratia presit,
Dumque foves carnem, de lege tua rege mentem.

In calice.

Iste calix usu duo portat mystica fructu,
Unde salus salvat, tum vita, redemptio manat.

In texto.

Accepta votum, Laurenti, per breve donum
Abbatis Stephani³, corpore, mente tui,
Qui primus primis prelatus fratribus istis,
Hoc et plura tuę contulit ecclesie,
Ut vivat tecum, quo durant longa dierum,
Et sit ei perpes gloria, pax, requies.

In ventilabro.

Vos sancti Domini sanctorum iure ministri,
Milito dum vobis, cor tantis figito donis
Semper, ut id curet, quid vivens mensa figuret.

A sinistris.

Natura fusus mihi duplex inditur usus:
Arceo, quod torret mea sordes, orbita terret;
Excolo munditias, sordes detestor iniquas.

In laterna.

Re duo diversa prefert hęc una laterna,
Dum lux cum tenebris usibus est geminis.

1) Jedenfalls ein Gemälde. 2) Die Gräber der früheren Bischöfe scheinen gemeint. 3) 1026—1060, vgl. unten das epitaphium Reimundi.